

IAC. ALTINGIVS 25) ipse mire improbat alibi, si *quis institueret conversationem iuxta sapientiam humanam, ut solum spectaret, quod ratio dicitaret*, 26) ne COCCCEO quidem aliter sentiente. 27) Viget, per Dei gratiam, etiamnum haec, si solaribus quoque lustretur radiis, reperta doctrinae sinceritas, in Academiis, quae veritatis antiquae tenaces, fidaeque LVTHERI vestigia persequuntur. Boehmio saltem, eiusque aequalis digna sententia est, ex orco saepius revocata, qua *non, nisi humanam Theologiam, & orthodoxiam putatitiam addisci in Academiis*, nonnulli blaterant. 28) Quanto cum studio, requisito mox *testimonio*, mox de doctrina ad quaestiones *responsionibus*, mox certis fidei capitibus facta *subscriptione*, pia caverit Antiquitas, ut *εὐλικενῆς* admittantur Doctores, IOS. BINGHAMVS, 29) qua solet, industria, diligentius excussit, ut *γνησίως* adeo Lutherani vel Orthodoxi, cum requiruntur Docentes, tanta cum acerbia isthoc sollicitiorum desiderium insectandum non fuerit. Pulchrum quid sit in Theologo, alii, I. P. DE CRVSAZ & I. F. BVD-

25) *Allegato loco, 2. Cor. II. 17. Legatus est, inquit, qui instructionem suam a legante accipit, & eius intellectum non extra eam, sed in ea quaerit, qui non alia, quam legantis verba usurpat, qui nihil illis admiscet, nullum peregrinum colorem addit. ad c. XII. ROM. OO. T. IV. p. 27. a.*

26) *Idem ALTINGIVS, T. IV. OO. p. 220. b.*

27) *Conatum καπηλευόντων, quo suas opiniones, quae ipsis sint ad palatum, possint pro verbo Dei obtrudere, & venditare, reiicit. OO. T. IV. p. 772.*

28) *Vid. Respons. Theol. & Iuridic. Academ. Vitemberg. in Causa Valdecc. p. 49.*

29) *Finit, dum antiquitatis hanc industriam descripsit: Ex quibus iudicare poterimus, quantopere praecavere studuerint veteres, ne qui, nisi spectatae fidei & orthodoxiae, ad praecipuas Ecclesiae functiones admitterentur. In Originib. I. Antiquit. Eccles. L. IV. c. 3. §. 2. p. 118. seqq.*